DISQUISITIO

DE PUBLICA SUPPLICATIONE, QUA CORPORIS CHRISTI SACRAMENTUM, UNO EX OCTO DIEBUS AB EJUSDEM CORPORIS FESTO, A CLERO CONSTANTINIANÆ ECCLESIÆ MANSIONIS PANORMI FORAS IN VIIS, PLATEISQUE CIRCUMDUCITUR, ET DE EPISCOPO ETIAM HUJUS ECCLESIÆ PRÆSIDI, TUNC ILLUD SOLEMNITER GESTANTE.

AC QUÆSTIA

DE MILITARIS RELIGIOSI ORDINIS AURATI ANGELICI CONSTANTINIANI JURE SIVE PRIVATO, SIVE PUBLICO

quae duobus ab hinc annis exarata

ab Constantinianae Inquisitionis, et Mansionis theologo

ANTONINUS DE SPUCHES DUX CACCABI

ORDINIS NUNCUPATI MAGNÆ CRUCIS EQUES, ET INQUISITOR

ut typis ære suo in cleri, suæ jurisdictionis, ejusdem ecclesiæ Mansionis Panormi comodum, atque exercitationem pro anno MDCCCLIV ederentur, mandavit.



EXCUDEBAT PANORMI BARCELLONA
1854.





DISQUISITIO

Clerus ecclesiæ collegialis Constantinianæ Mansionis Panermi gaudet facultate, circumducendi, in modum solemnis supplicationis, nempe ut vulgo dicitur in processione, foras a sua ipsa ecclesia in viis, plateisque civitatis venerabile Corporis Christi Sacramentum, at uno die octidui post ejusdem Corporis festum. Jam vero.

I.



Quæritur: unde hujus facultatis origo ?

Audiamus in antecessum Judicem concivem nostrum in sua brevi explanatione liturgico-chronologica.

« Gregorius Papa XIII bulla, quæ incipit *cum interdum* 11 maji 1573, omnibus ec-
« clesiasticis sæcularibus concessit liberam facultatem peragendi solemniter proces-
« sionem venerab. Sacramenti quacumque die, infra octavam Corporis Christi. » *(lib. III. cap. VIII. § III.)*

Ratio, cur Gregorius ad præfatam bullam sese adegit, ita plane est. S. Pius V, in sua constitutione 21 junii 1571, concesserat inclyto fratrum praedicatorum ordini, ut iidem fratres dumtaxat possent solemnem processionem Corporis Christi agere, die infra octavam dominica, cæteris ab hac concessione prohibitis. Cum ob id aliqua inciderent sive christianae plebi, sive aliis ecclesiasticis viris incomoda, Pontifex, ut iisdem obviam iret, quod praedicatorum erat, et comune ubique terrarum omnibus, ope solemnis bullae, decrevit. Quare juvat heic ejusdem bullae in rem frustulum intexere.

« Nos tamen attendentes, id non sine divini cultus diminutione esse aliquo modo « posse, cum omnes ad unam, et eamdem dumtaxat ecclesiam confluentes, in ea co- « mode recipi, sicque processioni hujusmodi interesse nequeant, praeter id quod inibi « saepe contingit, ut propter populi frequentiam sic confluentem varia scandala, et « jurgia oriantur, et populus ipse spirituali venerationis Sacramenti hujusmodi mul- « tiplici fructu privetur. Neque propterea diutius discussa honestum esse censentes, « literis praedictis modum aliquem praebere, illarum tenorem, ac si de verbo ad ver- « bum praesentibus insertus foret, pro plene, et sufficienter expresso habentes; motu « propio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera « deliberatione, et certa scientia, nostris universis, et singulis clero, et clericis, ac « personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam quorumvis ordinum religionum, et « militiarum regularibus, ut, literis Pii praedecessoris hujusmodi non obstantibus, li- « ceat ipsis tam die ipsa dominica infra octavam Corporis Christi, quam aliis totius « octavae praedictae diebus, processiones suas celebrare, nec super eo tam ab ordi- « nis praedicatorum hujusmodi, quam aliis quibuscumque personis, etiam praedictarum, « aut quorumvis aliarum literarum privilegiorum, vel concessionum, praetextu, seu « alias quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus censu- « ris vel pœnis etiam ecclesiasticis innodari, seu illas incurrere possint, tenore præ- « sentium concedimus, et permittimus. » *(Bullar. Rom. Pontif. collectio t. 4. p. 3. n. XVI pag. 253.)*

Attamen Clemens VIII, bulla *dum felicis* concessionem Pii V pro Domenicanis prædicatoribus confirmavit, non vero privative quod ipsos, sed quoad horam; ita ut illa hora, semel a Dominicani electa, ab ipsis dehinc non immutanda, die dominico infra octavam a Corpore Christi, qua ipsi processionem peragunt, nemo processionem eamdem circumducere possit. *(Vid. diar. liturg. theolog. moral. Ferdinand. Tetami tom. 3. tract. II. lib. VI. part. II. cap. II. pag. 333).*

Hisce positis est breviter investigandum, quidnam specialiter Gregorius XIII concesserit? Certe in jure canonico sancitum est, supplicationes publicas sive processiones, extra suæ ecclesiae vel domus confines, usurpationem quamdam alterius districtus, vel territorii sapere. Unde « non potest quis, bene ait De Luca in tractatu de jurisdictione, « quamvis exemptus, et privilegiatus, extra propium ambitum in territorio parochi, « vel diœcesani absque unius, vel alterius consensu processiones facere. » *(Discurs. XX n. 24.)*

Quare concessio Gregorii respexit usum alieni territorii, tantum in processione Sanctissimi, in uno dierum octavae a Corpore, omnibus et singulis personis, absque ulla parochorum, vel ordinariorum venia, quin imo ipsis etiam repugnantibus; quoniam isthaec venia a Summo Pontifice, nempe ab ecclesiae catholicae episcopo universali, atque ejus-

dem territoriorum omnium arbitro, et dispensatore, fuerit impartita. Cum autem Pontifex hujus processionis, neque viarum spatium, neque alium quaiemcumque ambitum definiat, bene deducitur, posse processionem ipsam undeqnaque in civitatibus, ut lubet, agi. Hoc absque dubio sartum, tectumque est. Quibus ita praemissis, liquido patet, facultatem in clero ecclesiae Constantinianae Mansionis Panormi, circumducendi foras venerabile Corporis Christi Sacramentum uno die octidui, post ejusdem Corporis festum, non speciatim a privilegio ordinis Constantiniani, sed a jure comuni per Pontificem nunc promanare. Qua de casu clerus idem in hac negotii amplitudine et caeteris aequiparatur.

II.



At cum cathedralis panormitanae capitulum, saeculo transacto declinante, aliqua circa dictam processionem contra clerum Constantinianae Mansionis obtenderet, Rex augustus Ferdinandus III, ordinis Constantiniani Magnus Magister, et Sanctae Sedis legatus sancivit, die 15 oct. 1793, ut sequitur italice.

« Ed essendo stata similmente la M. S. informata, che una tal processione si fa da « tempo antico, con indulto pontificio di Gregorio XIII; che con la visita di monsignor « Jordi fu stabilita nel 1604; che i cappellani della Magione, essendo stati dichiarati « cappellani del Real ordine Costantiniano con Regali diplomi, possono in forza di « statuti, e della bolla *militantis ecclesiæ* di Clemente XI, *che sono in piena osservan-* « *za*, far uso delle insegne Costantiniane nelle processioni, ed in qualsiasi altra funzio- « ne; a rimuovere pertanto in avvenire ogni disordine, e disturbo, ha il Re risoluto, « e vuole, che il rettore, e collegiali dalla Real chiesa di Magione siano mantenuti « nel legittimo possesso, di far la cennata processione nel distretto della loro chiesa, « che si estende sino al muro del giardino di Santa Maria degli Angioli, e con far uso « delle insegne Costantiniane, senza che gli si possa impedire. » En hujus processionis etiam pervetusta consuetudo.

(Notizia della R. Costantiniana chiesa della Magione ec. nota 3, num. 3, pag. 37).

Sed notandum circa districtum, de quo mentio est in hoc Regio diplomate, Regem ratione quadam pacis, et respectu ad possessionem illum edixisse, non autem hoc ipso expoliasse Mansionis Constantinianæ clerum jure ad majorem in supra enucleata processione amplitudinem excursionis, quod ex bulla Gregorii XIII cuicumque clero, atque etiam prædicto Mansionis inhaeret. Neque factum, quandoque, si evenit, minoris excursionis hujusmodi, aliquid eidem juri dethrait; etenim cum privilegia invitis non dantur, potest unusquisque illis, maxime generalibus, ut lubet, vel ut decet, uti. Hoc utique in jure, nam

in praxi idem clerus et Regiae praescriptioni prout sonat, ut se conformet, æquum est.

Scio, scripsisse Cavalerium, non posse regulares, absque parochorum, vel episcoporum licentia, viam in processione Corporis infra octavam, semel electam, mutare, hancque suam sententiam eumdem auctorem fulcire quodam sacrae congregationis rituum decreto 14 nov. 1615, in fratres prædicatores dato: « fratres prædicatores nequeunt in « suis processionibus Ss. Sacramenti, dominica infra octavam Corporis Christi, mutare « viam, semel a principio electam. » *(Tetamo diar. ut supra tom. 3. tract. 11. lib. VI. part. II. cap. II. pag. 334.)* At ad rem nostram non obstat, tum quia prohibitio istbaec cum odiosa se prodat, est sane restringenda, atque ordinibus, a prædicatoribus discretis, non applicanda; tum etiam, quia videtur latum decretum, ne prædicatores iidem, qui olim processiono Corporis dominica infra octavam, privative quoad alios, fruebantur, ad pristinum circa processionem ipsam jus, et libertatem omnimodam contra bullam Gregorii XIII *cum interdum*, et limitationes Clementis VIII in bulla *dum felicis* redirent.

Hic cursim quaeri etiam potest; et si aliquis ex clero supra laudatae ecclesiae Mansionis nondum sit cruce Constantiniani ordinis insignitus, valeat is cum vestibus, et ornamentis ejusdem ecclesiae suae in publicum quavis causa prodire? Utique, vigore bullae Clementis XI *militantis* anni 1718, ubi usus in publicum quorum quocumque, et quavis occasione vestium, et ornamentorum hujusmodi conceditur non tantum *cappellanis cruce... decoratis*, sed etiam *decorandis*. *(Notizie come sopra, nota 4, pag. 38.)*

Sacra hæc Sanctissimi supplicatio, sive processio nitentiori apparatu, et concursu, intervenientibus etiam omnibus equitibus Constantinianis, agitur, quando fit pro coronide expositionis ejusdem Sanctissimi post quadraginta horarum spatium, quæ infra octavam Corporis, in collegiali Constantiniana ecclesia Mansionis celebrantur. Ecclesia hæc omnino et penitus ab archiepiscopo panormitano exempta, expositioni illi annuit, certe non sese archiepiscopalibus praescriptionibus, et vice orbiculari Panormi ipsius expositionis coarctando. Qua de re operæpretium est, hoic referre potius verba, quæ Dux Caccabi Inquisitor Constantinianus in sua quadam italica apologia edidit. « Replicano, che la chiesa della Ma« gione accetta le quarantore nel modo ordinato dal palermitano arcivescovo, cioè col« l'obbligo della messa votiva solenne. No, perchè detta chiesa non può di un colpo « così pregiudicarsi alla sua indipendenza *nullius*. Che le quarantore della chiesa della « Magione sien connesse in Palermo nel giro a quelle delle altre chiese archiepisco« pali, è solo una relazione, ed un ordine materiale *per accidens;* e così appunto, per« chè tal chiesa *nullius* essendo in Palermo stesso, comunque materialmente, non ri« cusa seguire la vicenda delle quarantore di essa città, accomodandovisi, come la se« guirebbe, se fosse ai confini dell'archidiocesi. » *(Collezione di cose Costantiniane pag. 123.)*

III.



Quaeritur etiam: quid, si eveniat, quod alicui ecclesiae praesideat veluti caput episcopus aliquis, uti modo ecclesiæ Constantinianae Mansionis praesidet illustrissimus dominus Constantinae episcopus Don Julius Benso; tunc is cum venerabiie Sacramentum in octiduo a Corpore extra suam ecclesiam in solemni supplicatione, vigore bullae Gregorianae, gestet, potis est, ut insignia episcopalia, exempli gratia baculum mitram, aliaque similia, in simplices personæ phaleras, et majorem solemnitatis pompam, in se, et se propter circumferat?

Bene quidem est potis, si episcopus iste tali modo processionaliter circa ecclesiae suae brevem ambitum decurrat. « Ambitus, ait Johannes Kahi in suo iexico, est iter, quod « circumeundo teritur; nam ambitus est circuitus: ab eo duodecim tabularum interpre- « tes ambitum parietis circuitum esse describunt. Haec Varro lib. 4. » *(Tom. 1, p. 101).* At nemo inficias ibit, brevem ambitum ecclesiae censeri ipsam ecclesiam, utpote nunc videtur praxis ipsa intelligere, et tenere. Et si excursio supra dictae processionis ambitum excedere videatur, quid tunc? In hoc casu etiam potest episcopus, gestans solemniter in octava praedicta Sacramentum, ornamenta suæ personæ episcopalia adhibere. Ratio resolutionis nostrae hisce fulcitur argumentis.

Primo. Cum Gregorius processionem illam uno die prædictæ octavae cuicumque hominum sit largitus; et debuit profecto mente revolvere, non unum, sed plures fortasse episcopos ecclesiis debere quovis tempore praesides extare; quare recte conjicitur, in solemnitate hujus processionis, et solemnibus insignibus, quæ episcopum ornant, bene Pontificem maximum innuisse. Quid respiciebat in tali concessione Pontifex, quam cultum, quantum fieri posset major, et plurimam devotionem Corpori Christi, in publicum in morem triumphi circumducto, tribuere? Iam vero quis non videt ornamenta illa, sive insignia ad hoc quam maxime conducere, et præsumenda potius a Pontifice volita, quam interdicta?

Secundo. Gregorius concedit in illa processione unicuique usum ad tempus alieni territorii, quod majus est certe insignibus episcopalibus. Iam vero cum fixum sit in regula juris 53 in 6: *cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*, sequitur, bene posse episcopum in dicta Corporis processione, uti ad tempus eum alieno territorio, et suis episcopalibus ornamentis.

Tertio. Ornamenta personae personam ipsam comitantur, quod ab jure naturae, et gentium provenit: quandoquidem cum tribuendum unicuique hominum sit, quod suum est,

19

etiam tribuendus est unicuique, et maxime homini dignitate sublimi, honor, et reverentia. Iam vero unde in consuetudine sive familiari, sive publica ratio extrinseca, et debitum honoris, et reverentiae coram aliis, nisi praecipue ab uniuscujusque status ornamentis? Talis composita est hominum societas, talisque humana conditio. Quare ornamentis ipsis nemo, absque offendiculo sui, aliorumque, nuntium remittere potest. Et re quidem vera nonne quis vel militari aliquo gradu, alter vel avita aut acquisita dignitate aliqua praestans, sui gradus, et dignitatis vestibus coopertus bene potest palam ubique terrarum procedere, ut revera procedit, quin nemo illum jure carpere audeat? At cur non debet hoc eodem jure uti episcopus, suae dignitatis infulas adhibendo, eo vel magis, quando et illi, et ecclesiae, et Christo in uno episcopo, quod suum est honoris, et dignitatis, tribuitur?

Quarto. Neminem latet, quid Alexander VII circa praelatorum sequioris ordinis phaleras pontificales, die 27 septemb. 1659, constitutum inviolabiliter voluerit. Inter alia constituit: « ne hujusmodi praelati in processionibus, quae ab eorum ecclesiis per vias « extra ambitum, vel parochiam ducuntur, insigniis praedictis utantur, vel penes se per- « ferri faciant. » *(Decret. auth. Cong. S. R. Aloys. Cardellini tom. 2. n. 1856. p. 118.)* Quaestio hic non est de excursionis dolo per processionem in alienum territorium, cum ea legitime ducta sive venia, sive jure supponitur; eadem ratione, ac legitime ducta, vigore bullae Gregorii, supponi a gestante Sacramentum per octavam a Corpore, necesse est. Quaestio igitur instituitur mere de insignibus pontificalibus. Atqui si praelati inferiores, sese iis circumdatos in processionibus proferre palam nequeunt, et bene iisdem uti possunt praelati caractere episcopali elatiores. Ratio cur vetitum primum, quia de praelatis tantum praesbyteris, gradu episcopis obnoxiis, agitur; ratio igitur, cum alterum licere ex hoc ipso debeat, est, quia episcopi cum eminentiores suapte natura extollantur, nec praelatis inferioribus annumerentur, certe ab illo decreto Alexandrino non percutiuntur. Cum autem exceptio firmet legem in contrarium, evincitur, quod ex hoc ipso decreto resolutio nostra roboris multum nanciscatur.

Quinto. Si quid est momenti, huic resolutioni obsistens, ab illa lege canonica Tridentini desumi posset, nempe: *nulli episcopo liceat, cujusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia. (Sess. 6. cap. 5.)* Notandum: in explanatione sensus alicujus canonicae legis, non esse certe semper eo ahaerendum, quod aliqui, unus post alterum alteri fidens, certa quadam authoritate priorum explanare consuevere, sed spiritui, ut ita dicam, legis, eo vel magis, quando usitata aliquorum explanatio nimis aliqnid insinuare, et probare videatur.

Exercere pontificalia in aliena dioecesi vetitum, ergo neque ibi licitum insignia episcopalia deferre. Ita explanare plerique autumant. At quis non videt, Tridentini sententia tali modo accepta, latius, quam par est, et sonat, exolvi? Exercitium supponit actionem saepius saepe

repetitam, at pontificalia id, quod in officio episcopali majus, et fulgentius extollitur, nempe uno verbo administrationem sacramentorum, sicut est ordo, et confirmatio, vel actionem eorum, soli episcopo diœcesano competentium, utpote ea, quæ praecipuam, ipsius uti pastoris illius dioecesis, auctoritatem, et jurisdictionem stricte exprimunt, constituuntque. Hoc utique bene vetandum erat a concilio, ut in ordine unusquisque contineretur, confusio cessaret, offensiones veræ evanescerent; at non, ut unusquisque episcopus in quavis orbis parte, pro re nata, episcopus nullo modo ageret, atque in dignitatis suae infulis appareret.

IV.



Sed de re simili audiamus Andream Mendo placlarissimum Soc. Jesu doctorem, qui, in celebri suo libro de ordinibus militaribus, non est veritus haec, quae sequuntur scribere.

« Etenim communis valde sententia contra aliquos authores tenet, episcopum posse « celebrare in pontificalibus in aliena diœcesi, absque licentia ordinarii. Ita docent Co« varruvias *lib. 3. variar. cap. 9.*, Barbosa *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 7. Clem.* « *2. num. 6.*, Tabiena *verbo Patriarcha num. 4.*, Hostiensis *ad glos. in Clementina ar*« *chiepiscopo, de poenis, verbo, etiam celebare.*, P. Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.*, « Machado *de perfect. confes. tom. 2. lib. 4. part. 6. tractat. 17. docum. 9. num. 2.*, « P. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 5. n. 5.* Eorum fundamentum est, quia, esto Tri« dentinum *Sess. 6. cap. 5. de reform.* statuerit, episcopos non posse exercere actu « pontificalia absque licentia ordinarii in aliena dioecesi, tamen haec prohibitio intelli« genda est de actibus pertinentibus privative ad ordinem episcopalem, quales sunt « consacrare crisma, ordinibus sacris initiare, et similes, qui sunt exercitium pontifica« lium; at celebrare missam hujusmodi non est appellandum exercitium, sed usus pon« tificalium, qui in Tridentino non prohibetur.

« Ex hac sententia, . . . propter authoritatem tot virorum gravium, et sapientum « valde probabili, et ut Machado ait, communiore, et magis recepta, inferret aliquis, « posse priores militares, et abbates exemptos, jurisdictione quasi episcopali gaudentes, « in aliena diœcesi uti pontificalibus in missae celebratione, absque licentia ordinarii; « quae illatio, si doctrina introspiciatur, et potestas priorum, et abbatum attendatur, est « legitima. Et quamvis contraria sit consuetudo; posset dici id provenire ex eo, quod « ordinarii contrariam sententiam, ut suae jurisdictioni faventem, sequuntur, aque a« deo non permittere usum pontificalium in sua diœcesi absque sua licentia; indeque

« hanc exposci, ut vitentur lites, et contentiones, ac urbanitati consulatur. » *(Disquisit. VII. quaest. XIV. num. 170. pag. 216.)*

Animum applicet hic cursim lector ad sane doctum discrimen inter pontificalium exercitium, atque usum; quod si bene veteres perpendissent, neque amplius pro mea sententia ambigendi locus esse videretur; cum ego utique non de exercitio, sed de usu pontificalium, sive insignium episcoporum, pro eorumdem præstantia, adhibendorum, loquor.

Verum enim vero dubius remanet sensus Tridentini circa usum in propatulo intra alienam diœcesim episcopalium ornamentorum. Quare in hoc dubio quis possidet? Episcopus diœcesanus, vel alter quicumque episcopus? Cum lex clara non audit, jura utique tempore sancita, quæ extabant, nullo modo ab ea labefactantur. Doctrinæ huic nemini certe contraire est animus. Scimus ante decretum illud Tridentini, et ex hoc ipso concilio eruitur, omnes episcopos in usu habuisse, episcopales infulas sive ornamenta in publicum ubicumque deferre; ergo et iisdem uti pari modo, saltem aliquibus in circumstantiis, etiamnum valent; quodque adhuc probatur, nam lex quæ clara non audit, tamquam non lex, saltem in eo, de quo merito dubitatur, censeri debet.

Neque dici potest, quod diœcesanus, quia in ditione sua stat, contra insignia aliorum episcoporum possideat; nam, præterquam quod nescio, an possessio opinione incepta, atque opinione protracta aliquid obfirmet, obstat contra hanc possessionem jus, vel saltem juris prætensio circa illorum ornamentorum libertatem omnium circumstantiarum, imo totius mundi episcoporum; quorum aliqui plurimi ante diœcesanum invectum, jam episcopali caractere eminebant. De cætero utinam quidam territoriorum non domini, sed administratores pro Christo Jesu, pro ecclesia Dei, in animarum aedificationem esse animo sibi persuaderent; tunc quanta quæstionum seges arescerct, et quantum charitatis, virtutisque Christianae excresceret!!

V.



Scio huic nostræ resolutioni adversari cardinalem De Luca, cujus nomen, si res canonica auctoritate scriptorum tantum constaret, certe adversum nos negotium omnimode, et victoriam contrarium a nobis opinantibus efficeret. At rei canonicæ ratiocinatio penitioribus juris, mentisque ecclesiæ argumentis innititur, quæ utrum haeic sane pro De Luca, alioquin magno, stent, prudens lector judicabit. Auctor idem in allatum textum Tridentini Sessione VI de reformatione cap. 5.; « quod nulli episcopo liceat cujusvis pri-« vilegii prœtextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii expressa

« licentia; » scribit : posse intelligi eumdem textum etiam « circa illum pontificalium « usum, qui mere cæremonialis, ac honorificus est, absque jurisdictionis positivo præ- « judicio diœcesani, puta solemniter celebrandi cum baculo, et mitra, et cum vestibus « pontificalibus, ac deferendi mozzettam, et impertiendi benedictionem cum similibus, « quae in effectu consistunt in nudo fumo, vel simplici honorificentia, asque eo quod « diœcesano aliquid tollatur, vel impediatur. *(Adnot. ad ss. concil. Trident. discurs. « V. n. 2.* Nihilosecius negat, posse episcopum alienigenam ea in alterius diœcesi uti. « Eadem prohibitio generalis, nempe Tridentini, istum quoque casum percutit, quo- « niam hujusmodi præeminentiae, quamvis honorificae sint, attamen sunt effectus ju- « risdictionis, ac juris diœcesani, ideoque est alienam jurisdictionem usurpare, vel tur- « bare. » *(Ut supra num. 3.)* Bona pace tanti viri, quo pacto potest quis episcopus alienam jurisdictionem usurpare, vel turbare eo, quod auctor ipse simplicem honori- ficentiam, et nudum fumum appellat? Et maxime, si id fumus est, videtur, quod diœcesaneus, potius magnitudine animi quadam, non deberet in has res minutas, fumo- sasque incumbere, flocci faciendo, si episcopus extraneus, quæ episcopalis dignitatis mera insignia sunt, libere apud se adhibeat. Sed ex verbis De Luca allatis nonne apparet, quod is sibi ipsi contradicat? Et revera supra vocat illum usum pontificalium, scilicet u- sum ornamentorum episcopalium *mere cærimonialem honorificum*, *absque jurisdictionis positivo præjudicio diœcesani . . absque eo quod diœcesano aliquid tollatur, vel impedia- tur;* et paulo post idem auctor asserit, usum illum effectu redolere *jurisdictionis*, *ac juris diœcesani*, ideoque esse *alienam jurisdictionem usurpare, vel turbare.* Sed nil con- tinent insignia illa, sive ornamenta episcopalia, in aliena diœcesi adhibita, quod jurisdi- ctionis veræ, ac juris diœcesani sapiat. Non primum, quia jurisdictio in homines subdi- tos tendit, atque exercetur, quod quidem simplicia ornamenta non præstant; neque al- terum, nam jus diœcesanum in suo conceptu formali stat in jubendo, sive verbis sive legibus, in arguendo, in increpando, in judicando, in puniendo, inque hujusmodi aliis, a queis ornamenta illa, toto cœlo absunt.

De Luca sententiam suam, prohibitione metropolitania hac de re facta, confirmat. En ejus verba. « Idque adeo verum, ut neque metropolitano intra provinciam in suffra- « ganeorum diœcesibus, diœcesano invito, vel inscio, erectam crucem habere, vel « mozzettam deferre, sive benedictionem impartiri concedatur, praeterquam ubi juris- « dictionaliter metropoliticum jus exercendo, in ea diœcesi moretur ». *(Ut supra, num. 4.)* Verum enim vero argumentatio non videtur congruere, cum non pari ra- tione inter se metropolitani crucis authentica delatio, benedictio in populum, ac cæ- tera tantum honoris episcopalia insignia, sive ornamenta procedant; nam illa a jurisdi- ctionis significatione non semper expunguntur, contra ac alia, de quibus est quidem heic discursus; quae an jurisdictionem sibi adstruant, plurimi emunctæ naris auctores negant,

20

eaque ipse De Luca fumum evaporare rotundo ore crepat. Alia etiam, et penitiori responsione obviam ire in hunc celeberrimum auctorem juvat.

Et notandum, quod causa alicujus prohibitionis saepe saepius una potissimum eminet, quin aliae causae, quae evanire, aut excogitari possent, prohibitionem eamdem impeliant, ac in illa potiori causa innodentur. Talis heic casus occurrit. Quid ante Tridentinum præstabant muneris metropolitani? Ampla quidem auctoritate suffraganeis supereminebant, juramento obedientiae sibi esse devinctos illos in ordinatione jubebant, eosdem censuris innodare, ad se vocare, eorumque diœceses visitare poterant. Haec omnia, atque alia ejusdem generis Tridentinum abolevit. Hujusmodi, ut ita dicam, metropolitanorum exauctoratio magni momenti erat existimanda, utpote illa, quæ multo jugo, magnisque ambagibus suffraganeos liberaverat. Quare ne daretur ansa, ut vetus exercitium auctoritatis metropoliticae quovis modo pedetentim obreperet, bene vetitum fuit ipsis qualemcumque, praeterquam in casibus a Tridentino exceptis, episcopalium infularum pandere in suffraganei diœcesi explicationem, quae olim præeminentiam, atque auctoritatem liquido significabant. *(Vide egregium opus, l' ecclesiastico pienamente informato del p. Filippo Sceusa d. c. d. G., notizia V, pag. 104.)* Cum igitur ab hac peculiari causa prohibitio nuper enucleata oriatur, altera quae adduci posset causa, quod ornamentis alieni episcopi episcopalibus jus diœcesani perturbetur, vel nulla, vel vaga, aut incerta remanet, neque aliquid contra resolutionem meam probat; eo vel magis, quod sensus Tridentini contra talia ornamenta varie exponitur ab auctoribus, qui de usu ipsorum, ut supra ait Mendo, adhuc certant. Unde neque negotium mihi facessit De Luca; argumenta quae attuli adhuc a vi, si quam habent, propter auctoritatem tanti viri non enervantur, et resolutio, cui adhaerere generosum censeo, in tuto manet.

VI.



Consuetudinis, et præscriptionis ratio ex facto diœcesanorum, insignia episcopalia extraneis episcopis inhibente, quas mihi hæc scribenti quidam sane doctus objecit, non collineat adamussim ad rem. Non consuetudinis, quæ supponit et comunitatem suis repetitis actibus legem destruentem, et Principem vel consentientem, vel punientem. Nihil ex his hic habet locum; cum solus episcopus diœcesanus insignia illa inhibere supponitur. Non præscriptionis, quoniam diœcesanus est, qui pro se, atque in domo sua hujusmodi inhibitione officiat; quin alter æquo jure, et paribus viribus illi occurrat. Quapropter videtur in hoc casu applicandum diœcesano illud notissimum principium: quod Principis factum in rem domesticam subditi, ob prægrandem potentiam, quæ in ipso præ-

sumitur, non potest præscriptionis favorem sibi vindicare. Nescio tamen utrum in casu nostro conditio illa, quæ est veluti præscriptionis prima, scilicet genus quoddam, ut ita dicam, bonae fidei, adveniat, quando simplicia ornamenta episcopalia a diœcesano exstraneis episcopis vetantur; cum hoc, quod diœcesani obtendunt jus, non clare, et stricte, ut a nobis hucusque demonstratum est, ex Tridentino eruitur. Vetantur, vel quia opinio insignibus advenæ episcopi contraria magis arridet, vel quia unusquisque in ditione sua vult omnimode superior haberi. Quare consuetudo, et præscriptio cum ad casum non quadrent, neque aliquid heic concludere videntur.

Evolvendum ad hunc locum videretur, qualia se habeant insignia episcopalia auctoritatem, et jurisdictionem exprimentia, et qualia, quæ in simplici hornatu personam comitante, contineantur; cum illa majora, atque hæc minora aliqui auctores vocare consuevere. Sed ne in longum disquisitio abeat, hæc atque alia missa faciens, dico: id, quando evenit, prudentia, et recta ratiocinatione, maxime a certa consuetudine, et aliis legibus, si quae adsunt, definiendum, omnibus utique bene perpensis circumstantiis, rebusque sæpe sæpius non absolute, sed relative consideratis. Quare, exempli gratia, baculus, qui dominationem præseferre videretur, ductus a clerico pro episcopo in Corporis processione, postquam episcopus ipse in templo eo usus est, nihil aliud certe arguere potest, quam personæ simplex ornamentum.

Hucusque a me ingenue, atque ut mihi persuasum est, enucleata certe non militant pro reliquis prælatis, etiam regularibus, infulis episcopalibus donatis; quas ipsi ad meram suæ dignitatis significationem, cum pro eisdem non eadem instet rationum parilitas, vetatque Alexander VII, ut supra indicatum est, adhibere libere in publicum, quando occurrit in processionibus, nequeunt.

Quamvis, quæ edissere placuit, juri episcoporum alienigenarum suffragari videantur, attamen in his certe respectum mutuae dilectionis, et urbanitatis inter episcopos habendum esse nemo recusabit; ac potissimum quando diœcesanus miti animo, perpolitisque moribus commendatur; qualis hodie Deo adjuvante in hujus panormitanae archidiœcesis levamen archiepiscopus oppido nobilis, illustrissimus, et reverendissimus Dominus **D. JOANNES NASELLI**, vicario multae laudis rmo D. Antonino canonico Cervello comitatus, præfulget.

Cum haec de ornamentis episcopalibus in alieno territorio, quæ nullam alienæ jurisdictionis significationem in vero conceptu præseferunt, pertractassem, rogo lectorem utique non obliviscatur, me quæstionem non absolute tantum, sed respectu ad processionem Corporis Christi ex Gregorii XIII facultate attigisse, quod multum hujus resolutionis meae momentis virium præstat, eamque tutiori obtutu repraesentat.

Ex dictis ergo eruitur, bene se gessisse, et nullius justæ querimoniæ reum se reddidisse episcopum Benso, quando gerens in collegiali Constantiniana ecclesia Mansionis

munus rectoris, quod laudabiliter, et strenue usque adhuc gerit, cum solemniter in processione ab ipsa ecclesia foras, et fere prope ejusdem ambitum, deferret anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, die vigesima junii, venerabile sacramentum; jussit, ut ante se per vias, plateasque, mitra sui ipsius, et baculus, ut moris est apud episcopos, in processionibus meantes, deferrentur. Ut rei huic præfatus episcopus navaret operam, adnisus quoque est Inquisitor noster, maxima nobilitate decorus, dominus D. Antoninus de Spuches, dux Caccabi, tum quia juris ecclesiastici peritus, tum etiam, ne ordinis Constantiniani, quem is deperit, solemnitas, ac relligio in Christum, velamine sacramentali tectum, ulla celebriori pompa deficerent.

VII.



Inter hæc, mihi prælo hanc meam disquisitionem committenti, occurrit prae manibus decretum quoddam a sacra rituum congregatione 10 januarii 1852 latum, satis meo argumento affine. Inquirebat inter alia ab ipsa congregatione reverendissimus Joannes Antonius Fridericus Baudius, episcopus in partibus Arethusinus, archidiœcesis coloniensis suffraganeus, ac illius metropolitanae ecclesiae canonicus: « an episco« pus, nempe idem ipse Baudius, titularis suffraganeus, canonicatum, vel dignitatem « in capitulo retinens, possit retinere habitum canonicalem, vel an debeat, uti ha« bitu episcopali ordinario inter officia publica, ab alio seu episcopo, seu sacerdote ce« lebrata in ecclesia cathedrali, ut in aliis dioeceseos ecclesiis? »

Patres, sacris tuendis ritibus praepositi, cum antea praemonuissent, se memores esse *sacram rituum congregationem, at Apostolicam Sedem consuluisse, ut debitus episcopali dignitati praestetur honor, et reverentia exibeatur;* subjecerunt circa illud, aliaque, de re simili, circa praelationem titularis episcopi canonici inter canonicos, dubia: certiorem faciendum esse archiepiscopum coloniensem de ecclesiarum Urbis circa res hasce consuetudine; *suadendo, ut introducatur iterum in sua metropolitana ecclesia, sicuti decere dignoscitur.*— « Itaque in ecclesiis Urbis, praesertim patriarchalibus, haec potissimum « servantur. Episcopi titulares choro addicti adhibent, et adhibere tenentur habitum or« dinarium, quo utuntur episcopi in romana curia; idest rochettum supra subtanam, et « mantellum violacei coloris.. In missis.. solemnioribus cum indumentis pontificalibus, « de licentia ordinarii.. Et omnia, episcopali dignitate competentia, titularibus episcopis « tribuuntur non intermisse.. » *(Vid. ephem. la scienza, e fede vol. XXVII fasc. 157. pag. 58.)* Iam vero haec in rem meam referens, cupio, lector animadvertat: sacram rituum congregationem, Sedemque Apostolicam, cogitationibus honoris, et reverentiae in episcopos quam maxime duci, ita ut Romae, dum omnia dignitati episcopali compe-

tentia absque intermissione tribuuntur; episcopis canonicis insignis eorum celsitudini consentanea, at non vere canonicalia inter alios canonicos, decernantur. Quid ergo si episcopus Constantinæ Dominus Benso, ecclesiae Mansionis rector, potuit, ideas de sua dignitate romanas attingens, illasque, ut par erat, praesumens, cum venerabile Sacramentum prae manibus publice in superius enucleata supplicatione ferret, inphulis suis tantae solemnitati consentaneis, ornatum prodire? Certe, ut rector non potis erat, ob ecclesiae suæ, ordinisque Constantiniani honorem, a ferendo Sacramento se detrectare. Imo ad hoc quodamodo adigebatur ex sacrae rituum congregationis 12 junii 1627 decreto, quod sic se habet: « In vesperis autem diei octavae, nempe a Corpore, si fiat « processio, deferatur ab eo, qui cantavit vesperas, modo sit dignitas vel canonicus. » *Tetamo, ut supra pag. 337.)* Quid? Idem episcopus Benso, ut sententiae aliquorum satis faceret, debebat veluti simplex sacerdos, ac primus inter collegiales agens, dignitatem suam quodamodo expungens, imo pessundans, sese in publicum committere? Ast, qui paulo ante in celebrandis officiis divinis, intra Mansionis ecclesiam omnimode exemptam *nullius*, episcopus, mitra, et baculo, aliisque episcopalibus accessionibus praefulgens, cum in eo esset, ut Christum publice ex concessione Gregorii XIII portaret, quo pacto potuisset illis se, absque populi ipsius admiratione, atque offensa, et solemnitatis turbamento, exuere? Si legem aliqui, huic rei adversam, eaque nobis fucum facere, obtendunt, certe nollent, legem omnia susque deque esse habituram. Neque alieni territorii extra Mansionis limites cogitationibus tunc immorari fas erat, cum, ut saepe saepius dixi, Pontifex Gregorius illud ad tempus pro hac Sanctissimi processione infra octavam, libere cuicumque concesserat: admonens postremo cujusvis gradus episcopos, ut hoc in negotio, favori faciendo proni magis magisque satagerent. En Pontificis verba ad calcem bullae supra numero 1. relatae.

« Et nihilominus universis, et singulis .. patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, ac « dilectis filiis cæteris locorum ordinariis .. motu simili per praesentes committimus, « et mandamus, quantenus ipsi .. praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, « ubi et quando opus fuerit .. fuerint requisiti, solemniter publicari, eisque in prae- « missis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia, et singula ab « omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, ac praedictos interesse ha- « bentes illis pacifice frui, et gaudere. »

Supponit igitur Pontifex, episcopos, in permisso ab eo tacite, at absque dubio, omnibus eorum territorio in processione Corporis in octava, sibi gratanter morem gerere. Territorio igitur panormitano per id temporis, et solemnitatis, tamquam per pontificiam auctoritatem etiam suo, uti bene poterat episcopus Benso, explicans in eo suae dignitatis, pro Christo azimis latente, imphulas episcopales. Neque in hoc erat hilum ambigendum de archiepiscopi Pignatelli, nunc e vivis erepti, bono animo, quem certe ad

mentem Gregorii, processioni hujusmodi, ejusque magnificentiori apparatui faventem. omnis homo prudens, et rectus existimare debebat. Quare superius memoratum decretum repetens, dico: quod si Romae *omnia episcopali dignitati competentia titularibus episcopis tribuuntur non intermisse*, cur eadem etiam in supra dicta solemnitate Panormi non erant episcopo Benso tribuenda?

VIII.



At non me fugit, quo compede, quamvis ad speciem, meam vincire videantur resolutionem verba ejusdem decreti, idest: *in missis.. solemnioribus cum indumentis pontificalibus, de licentia ordinarii*. Utique ad speciem, cum casus non sit casu nostro implicitus. Agitur de consuetudine romana, idque eo verum, quo sacra rituum congregatio exortari curae habet archipræsulem coloniensem, ad consuetudinem ipsam in suam archidiœcesim introducendam. Quae igitur Romae, licet sapienter, quandoque circa episcopos fiunt, legem universalem ubique terrarum, et Panormi, episcopos arctantem, non semper adstruunt. Hoc, tyronibus etiam cognitum, in ipso jure canonico elucet. Agitur de episcopo suffraganeo, idest, juxta nostrum loquendi morem, adjutore, et canonico in ecclesia metropolitana archiepiscopi coloniensis, scilicet de viro, in omni summa eidem subdito. Quid mirum ergo, ut celsissimi superioris reverentiae, et rectae hujus rei ordinationi consulatur, quod episcopus Baudius subditus debeat in missis solemnioribus cum indumentis pontificalibus de licentia ordinarii operari? Verum isthaec omnia nostro episcopo Benso tantum non quadrant, quantum ipse adjutor non archiepiscopi panormitani, sed mazariensis invenitur, ecclesiaeque ordinis Constantiniani exemptae *nullius* rector moderator, solique Magno Magistro, qui est plus felix augustus Rex noster **FERDINANDUS II**, ejusdem ordinis, ad mentem bullae *militantis* 1718 Clementis XI, vero, et proprio *ordinario*, et Magno Priori subest. Agitur de re superioris decreti, in nullo pontificio diplomate praesumpta; contra ac in nostro casu evenit, pro quo, ad processionem in octava Corporis peragendam, atque ad insignia episcopalia pandenda, Gregorii XIII constitutio *cum interdum* summopere facit.

Ad hunc locum nostrates quidam subjiciebant. Ferdinandus III sicuti legatus Pontificia sancivit, ut clerus Constantinianae Mansionis processionem Corporis, die uno octidui ab ejusdem festo, posset peragere. **FERDINANDUS II** episcopum Benso rectorem ecclesiae collegiali Mansionis constituit. Tantum legati munere fungitur tertius Ferdinandus, quam secundus. Quare cum iste episcopum illi ecclesiae rectorem voluerit, certe praesumitur, voluisse etiam, et concessisse veluti legatus, ut idem episcopus, per vias

venerabile Sacramentum portans, omnia, quae sunt suae dignitatis episcopalia insignia explicaret; eo vel magis, quod hoc quoque ad decus, et reverentiam Regis Magni Magistri Constantiniani conducit. Sed haec meminisse juvabit; cum jus in magno hoc legati Regis nostri negotio a bulla *fideli* Benedicti XIII, atque a certa praescriptione veraciter canonica tantum desumendum, nostrates alii, inter quos ego, autumant.

Caeterum, mihi plura decreta circa meam hanc resolutionem, Romae edita, evolventi, non occurrit adhuc aliquod decretum, quod conceptis verbis illam infirmaret, damnaretque. Attamen, ut ex eisdem decretis eruatur quod solidi, et veri aliquid pro una, vel pro altera parte evincat, aestimo iis, quae subjicio, attendendum. Romanae congregationes saepe secundum id, quod quaeritur, respondent; quae nova, vel consuetudine firmata, tantum rationum momentis vel negant, vel concedant, quamvis a novitatibus merito aborreant; ecclesiasticam auctoritatem abolitam renuunt, atque ex integro creatam favore prosequuntur; aliquoties omissis, quae sunt in juris, de quo agitur, merito, ad evadendas, vel sedandas lites applicant responsiones; ad Sanctæ Sedis jura, et favores, quod apprime rectum, et justum voco, respiciunt; casibus, locisque peculiaribus provident, quin provisa ad omnes eventus, locosque extendere intendant; de re ipsa aliquid, vel totum, juxta temporum, locorum, personarumque circumstantias, omni in sapientia, et prudentia, diversis temporibus sive laxant, sive astringunt. Hisce aliisque veluti romana decreta interpretandi regulis, quae illa pervolvendo, collegi, non modo nil adhuc in illis resolutioni meae liquido, et clare adversans, ut supra innui, sed etiam non pauca faventia inveni.

Nihilominus quae hucusque in hac disquisitione, aliisque italicis libellis meis a me elucubrata in lucem prodeunt, et prodiere, meque ipsum ex tota anima, mente, et corde ad Petri arcem, nempe ad Romanam Sedem, in qua columna, et firmamentum veritatis in universum orbem exollitur, humiiis provolvo, et subigo. Si quid humanitus scribendo erravi, non solummodo ad verbum, sed ad nutum etiam illius Sedis, mihi omni vita carioris, quoniam ab ea fons vitae manat, corrigere, et ad nihilum etiam redigere, Deo adjuvante, satagam. Hoc quod catholicus quicumque, certo etiam magis praestare debet sacerdos, scriptorque Constantinianus, ob illam, qua is efformatus, ordinis Constantiniani mentem, Sanctae Petri Sedi continenter devotam. Constantinianus ordo omne bonum, quod certe maximum habet, ut in commentationibus meis, jam editis, de privilegiis, et exemptione Constantiniana probavi, id totum ab illa Sede repetit; cui vices ista numquam satis laudatus ordo rependere per saecula tot praeclaris factis pro catholica romana ecclesia, gestivit, et gestit.

Sed de quaestione in praesentiarum, et pro mea tenuitate, satis superque, quam sequi boniquae facere sapiens lector non dedignetur.

IX.



Liceat tamen mihi heic, pro coronide, sacerdotes cujuscumque dignitatis obsecrare vehementer, ut si quid per hæc studia boni in Dei ecclesiam afferimus, et nostrerum studiorum nervos magis tendere debemus in certamine, ad quod hodie provocamur. Et provocamur ab hostibus perduellionibus, vaferrimis, ac prisci fuere, nequioribus, nempe Socialistis, Comunistis, Sansimonianis, Illuminatis, vel potius hominibus undequaque tenebricosis, aliisque ejusdem furfuris quam plurimis, qui non modo hæresibus, sceleribusque horrendis implicare humanus genus, et summopere juventutem in romanum Pontificem, in Reges, inque cæteras sublimos potestates a Deo positas, atque in sacerdotio, fortunisque præstantes machinantur, sed Deum, Christum, ecclesiam catholicam, uno verbo Religionem omnem ex animis, cordibusque omnium, nefario dæmonis afflatu acti, eradicare totis medullis enituntur. Ad quid ergo intendunt? Ut homines ad pecudum conditionem prosternant, societatem universam pessundent, Sanguinem Jesu Christi frustrent, vitamque futuram oblivioni tradant, præcludantque. Quis non videt de re nostra capitali vehementer agi? Provocamur utique ab hujusmodi hostibus verbis, imo blasphemiis, et libris, et dolis, omnique telorum genere, quæ ipsi sive in tenebris, sive in die acuere indesinenter rabidi non cessant.

Neque satis est nobis ad retundendum in hoc certamine studiorum præsidium, sed opus etiam est nobis animi meliori virtute, quæ unumquemque nostrum comprehendat, inflammet, atque inexpugnabilem efficiat. Loquor de assidua ad Deum precatione, nam *sufficentia nostra ex Deo est*, de veræ humilitatis spiritu, atque exercitatione non intermissis; nam ubi humiles, ibi opitulatur Deus omnipotens, et misericors, de rerum humanarum abdicatione, non amplius quæ sua sunt miserrimis artibus conquærendo, sed quæ Jesu Christi; mente revolvendo identidem illud Gregorii Magni. *Si ergo, fratres carissimi, esse divites cupitis, veras divitias amate; si culmen veri honoris quaeritis, ad coeleste regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate.* Loquor de inculpabili vita, *ut si quis ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*, de amore Dei intimis præcordiis in dies magis magisque calente, de zelo animarum, et de tenerrima in Deiparam pietate, cui datum est omnes hæreses, integrumque avernum pede niveo invincibili conterere. In his aliisque, quæ alioquin munus saçerdotale requirit, en animi nostri vera, et prægrandis virtus.

Attamen virtuti huic addamus, quantum tenuitas nostra patitur, vires observantia singulari erga successorem Petri, vicarium Christi, Romanum ecclesiae catholicae uni-

versalem Pontificem. Deus bone! Nonne Petri de Christi divinitate confessio, seu vivida fides excavit, composuitque ecclesiae ipsius fundamentum? Fundamentum hoc est petra illa, quae, Christo eodem promittente, nullo erit, ut accidit, accidetque, qualicumque averni conatu deturbanda. Si petra in fide, atque ideo in veritate, sequitur, ab hac fide petram ipsam divinitus sustentari ita, ut una porro, ab altera deficere numquam possit. Nonne munus pascendi oves, in quibus patres, seu praelati intelliguntur, et agnos, nempe fideles quoscumque, fuit Petro commissum? Quid in pascendo designatur, nisi docere, erudire, præesse, regere, et regnare; quod pastor in suas oves, agnosque facit! Ego sum pastor bonus, ait Christus, utique omni potestate a Patre plenissimus in ecclesiam, quam erat sanguine suo acquisiturus, ut revera acquisivit. Iam vero ex eo, quod ecclesia militans tam divina eget opera, et virtute, ac triumphans, utpote utraque Corpus Christi efficit, et in Deum tendit, quamvis una patiens, et altera gaudens; cum Christus, qui transiturus erat ad Patrem, militanti ecclesiæ Petrum superstitem pastorem, et caput constituisset; nonne opus erat, ut sui ipsius supremi, atque æterni pastoris potestatem, licet non omnem, Petro eidem quam cumulatissime conferret? Ego sane cum mecum volutarem, dominum nostrum Jesum Christum respexisse antea Petrum, ut fundamentum, et dehinc ecclesiam, ut aedificium, nam dixit *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam;* animo et corde fixum habui, illum voluisse, ut omnia, quae sint pro animabus in universam hominum societatem comoda, a Petri media auctoritate in hoc mundo derivarent.

X.



Atqui, protrhaente se in aevum ecclesia, Petrus in romano Pontifice, hodieque in beatissimo Papa nostro PIO IX halat, loquitur, et gubernat; ergo inenarrabile ejusdem Pontificis judicium, et plena in universam ecclesiam, sive coactam, sive dispersam, jurisdictio. Ex hoc unitas, unitatisque omnium cujuscumque generis, et regionis catholicorum ligamen, ac fidei, morumque, per omnes aetates, inconcussum tribunal: pro quo gratiae quam maximae sunt Deo habendae, quod numquam error, et mendacium possit ecclesiam Dei dissolvere, et nullus filiorum ejus, sicut sidus errans, aut nebula, omni doctrinae exitialis vento circumducatur, agiteturque. Tales certe per romanum Pontificem doctrina, et spiritus Christi adspirant, et ad salutem via panditur usque in finem saeculorum, quales ab ipso Christo exordium habuere.

At quo pacto posset recte suo munere Pontifex fungi, alienae dominationi obnoxius? Quantae, si ita obnoxius esset, in catholicis suspiciones, politicae simultates, resistentiae

illi ad obediendum, et scissiones? Maximi ponderis hoc est ad Religionis ipsius vitam. Unde non potest Pontifex nisi aut rex, aut martyr consistere. *Regnum meum non est de hoc mundo:* utique, ne se Pontifex implicet in mundi hujus oblectamentis, cor suum divitiis, honoribusque apponat, mundumque ipsum pro suo fine respiciat; cum se ipsum, catholicosque omnes ad meliorem mundum, idest ad futuram aeternitatem, in quam humanum omne dissolvitur, impellere tenetur. Itaque *regnum meum non est de hoc mundo;* illud quod hodie religionis hostes nimis huil et subdole opponunt, non sonat, arguitque, esse romanum Pontificem ab omni temporali dominatione, et gubernio prohibendum. Hisce liceat adhuc addere: regnum Christi spiritale non esse de hoc mundo, quatenus non de mundi elementis, sed ex divina gratia consurgit, non a militum legionibus, armisque, sed ex virtute a coelis roboratur, et stat; non ab temporum, hominumque vicissitudinibus, quae etiam firmiora regna olim destruxerunt, unquam impetitur, sed prorogabit se inter ipsas suorum spissas interneciones firmum, et constans, usque ad saeculi diruptionem. Atqui Christus natura erat, atque est hujus mundi pariter Rex, imo *Rex regum, et dominus dominantium*, a quo regalem potestatem illi, qui regnis præsunt, mutuantur; ergo amotio ab omni humano gubernio in textu illo pessime deducitur; et bene Pontifex potest in ditione sua, ad modulum Christi universalis Regis, etiam regali erigi, ut erigitur, majestate.

Pauca de hoc tam praeclaro, utilique argumento delibasse tantum, brevicula haec scriptio sinit. At in hoc ipso immorari amore magno, idem cum fiducia loqui, et contra conatus omnes adversos viriliter defendere; en observantia, quae cœlestem in ministerium nostrum virtutem indubitantor adaugebit. Etenim cum in romanum Pontificem propendere animis, sancti omnes studio, et devotione magna voluere, et purioris Religionis sit indicium, certe hoc majoris opis frugem a Deo optimo maximo non potest non mereri. Utique in romanum Pontificem propendamus animis, nunc maxime in hac temporum colluvie, in qua hostes vaferrimi illum, ut caput, labefactando, religionem universam labefactari conantur. Caveamus insimul, ne inficiamur ab aura quadam ad speciem, ut quidam effutiunt, innocua, sed vere pestilentiali, a protestantibus, ab jansenianis, atque ab atheis in romani Pontificis jura, atque attributa equidem profecta, sacrae traditioni, patribusque contraria. Quid ab hujusmodi hominibus, superbia indomabili elatis, erroris, et damni sacerdos catholicus non debet suspicari, et timere.

Interim romano Pontifici, atque Apostolicae Sedi sit presbyter Constantinianus, prae aliis, verbo, et opere summopere addictus, tum grati animi significatione, ob praeclara beneficia ab ecclesia romana in ordinem suum conlata, tum etiam ob exempla majorum Constantinianorum, qui utique pro Pontifice, Sede Apostolica, ipsaque ecclesia vires, opes, sanguinem, seque ipsos, retro ante saecula, exantlavere: queis in exemplis quantum pro Superi! non praestat illud amoris, obsequii, et comodi, quod FERDI-

NANDUS II. Rex, et noster Magnus Magister in **PIUM IX**, tunc temporis, malarum artium odio, atque injuria, Gaetae extorrem, affatim contulit? Etiam singulari, et integra in Romanum Pontificem observantia magis magisque strenui, et fortes ad praelianda praelia Domini, quotquot sumus sive majores, sive minores sacerdotes, evademus.

Quid restat? Manum operi, nempe huic tam sancto certamini protinus admovere. Omnes id præstent sacerdotes: at Constantinianus sacerdos, qui catholicam fidem tueri jurejurando professus est, nonne velociori conatu in hanc arenam descendere adstringitur? Utinam in hisce fraternæ vocis monitis sacerdotes universi saperent, et intelligerent, ne ipsos fortasse desidiæ suæ aliquando pœnitere contingat, quod Deus propter magnam bonitatem suam avertat. Hoc unum tandem maneat alta mente repositum: eo audaciones, efferatioresque hostes religionis extolli, quo sacerdotes debiles, negligentes, timidi, et juxta sæculum prudentes, ab dimicando in illos, conticescunt, atque quiescunt. Finem tandem faciant verbis hisce meis Bedae venerabilis verba: quod Deus *certantes cum hostibus, ut vincant, adjvat, et victores in æternum coronat.*

ADNOTATIO

AD NUM. I. ET II.

Ecclesia collegialis Constantinianæ Mansionis Panormi pollet etiam privilegio, nimis admodum singulari, nempe, ut solemnis supplicatio, sive processio Corporis Christi, in magno ejusdem festo, ab ipsa ecclesia, et non a cathedrali egredi debeat. Hoc unde exordium habuerit, paucis absolvemus.

Cum Urbanus IV decreverit per bullam *transiturus de hoc Mundo*, anno 1262 datam, ut solemnitas Corporis Christi celebraretur in orbe universo, feria quinta post octavam Pentecostes; milites Theutonici Panormi, incolæ Mansionis, utpote illi, qui Corporis festum aliquibus ab annis in ipsius Mansionis ecclesia celebrabant, animum obfirmabant juri, quod in eorum ipsa ecclesia, et non in altera Panormi idem Corporis festum esset celebrandum. Hinc orta est lis inter ipsos Theutonicos, et archiepiscopum panormitanum; quia is festum Corporis suæ ecclesiæ, ut matri, competere obtendebat. Post varias disceptationes utraque pars inlit, auctoritate etiam Urbani IV, fœdus, ut festivitas Corporis prædicta in Theutonicorum Mansionis templo fieret, aliquibus tamen exceptis. Hæc ferme erant, quæ ad hæc usque tempora sarta, et tecta habentur: quod cathedralis ecclesiæ thesaurarius debeat illo in templo prima luce missæ sacrificium facere, Sacramentum in capsula, quæ eadem est feriæ quintæ in cœna Domini, reponere, supplicationis tempore ex capsula ipsa illud educere, et in sphæra inclusum archiepiscopo, per vias ducendum, tradere. *(Vid. tom. 2. consultat. canonic. et moral. p. Benedicti Chiavetta* concivis *nostri, ex inclyta Soc. Jes., consult. 187. num. 7.* et *8. f. 528)*

At cur in capsula, et non sursum patenter, ut hodie in more positum est, sub conopeo? Mongitorius noster ita respondet. Quia antiqui illi, videlicet, qui festum Corporis primi, ab Urbano


IV celebrarunt, ritum feriæ V in cœna Domini adamussim referre putaverint; vel quia Senatus, qui ad Mansionem comitaturus Christum accedit, possit, et in missa solemni, et dum supplicatio procedit, in scamno parato assistere, et sedere. *(Monumenta hist. Mans. cap. XI. p. 174.)* At hoc non mihi arridet. Quid si existimem ego, morem illum, asservandi in ecclesia Mansionis ante supplicationem, sive processionem, in capsula Sacramentum, oriri ex antiqua ecclesiæ universalis consuetudine, anno 1262 etiam existente; cum Sacramentum super altare, palam sub conopeo, exponere, recensioris ævi ritum puto; de quo longiorem sermonem facere notula hæc prohibet?

Addo tamen hic verba aliqua ab supra laudato Mongitore desumpta. « Ad SS. Eucharistiam « reverenter adorandam cives quavis hora, a mane usque ad meridiem, templum exundant, sacris « assistunt, eucharistico cibo reficiuntur, de festi pompa congaudent. » *(Ut supra pag. 170.)* Si etiam hac nostra tempestate cives nostri de festi pompa congaudent, eucharistico cibo illic tanta frequentia, et sedulitate, cui Mongitorius innuit, reficiuntur? Oh quantum, ob recensioris incredulitatis spiritum, qui ad littora nostra etiam suum inspiravit halitum, oh quantum sumus ab avibus nostris mutati! Deus, beatissima Virgo, Sanctus Joseph, et Sancta Rosalia nostra adjuvent concives nostros, cæteroquin indole bonos, ad sese, omissis fallacibus hujus temporis deliramentis, pristinæ patrum nostrorum religioni penitus, et omnino conformandos.

Alia etiamnum Mongitoris verba loquantur. « Ante meridiem missa ab ecclesiæ priore, nunc a « rectore, solemni ritu celebratur, cui senatus panormitanus suis cum ministris venerabundus « assistit. *(Ut supra pag. 170.)* Viæ omnes, qua transeunda solemnis supplicatio a Mansione, ad « cathedrale usque templum, sedulo exornantur.. Nullus non sericis stragulis, ac ornamentis « instratus paries, qua iret supplicatio.. Prope ordinum regularium cœnobia, aliasque ecclesias « per vias occurrentes aræ assurgunt, ad omnem magnificentiam conditæ, elegantissimæ extructæ, « proceritate, ac ornamentis insignes, ne dicam admirabiles.. Supplicatio.. a nostra Mansione « abscedit, eique exordium instituit societas alborum; sequitur et alia, cui nomen a charitate.. « Sequuntur, et aliæ septuagintanovem societates.. sacco operti.. Sodalitia exinde.. prosequuntur numero prope viginti.. Hujus vestigia eodem ordine insequuntur regularium familiæ, unaquæque in suam dispartita classem.. Succedit urbanus clerus.. Omnium ultimus cathedralis « ecclesiæ clerus, et canonicorum capitulum.. Interea panormitanæ ecclesiæ archiepiscopus Mansionis ecclesiam adit.., ac.. Sacramentum.. debita cum reverentia in sphæra collocatum accipit, in supplicatione deducendum, eoque ordine procedit sub umbella, cujus hastæ a senatoribus gestantur. Sequitur et prætor urbis suis cum ministris, et circumfusa omnium multitudo.. « Cum ad ecclesiæ limen, nempe Mansionis, pervenerit Sacramentum, bombardæ quamplurimæ, « in vicina area dispositæ, perstrepere audiuntur, quibus urbis propugnacula, tormenta bellica « explodentia, statim respondent.. Qua progreditur via sacratissima hostia, floribus solum plena manu quivis consternit. Undique æs campanum e sacris turribus circumsonat, ignes, et « bombardæ perstrepentes cœlum roboatibus implent. Ubi ad ædes Catalauniorum pervenerit Sacramentum, ubi persæpe.. se sistit Siciliæ prorex.., statim ipse.. exilit, et in genua provolutus, Regum Regem reverenter adorat, ac accenso cereo Sacramentum sequitur. Id ipsum et « regii ministri omnes efficiunt. » *(Ut supra pag. 171. et 172.)*

Hac nostra tempestate prorex, sive locumtenens, ab ipsa Mansione, Sacramentum pone archiepiscopum comitaturus, religione multa procedit; quod olim Ferdinandus primus, quando Panormi degebat, ad singularem pietatem compositus, eximio in subditos fidei suæ exemplo, magna equitum, etiam Constantinianorum, et militum dignitate insignium comitante caterva, præstabat. Hoc et præstitit puer, in avitam familiæ Burbonicæ religionem proludens, qui nunc regni clavum tenet, **FERDINANDUS II** Rex noster augustus, et Magnus ordinis Constantiniani Magister. Utrumque ego, tunc temporis juvenis, vidi ingenti animi oblectamento, et pietatis pungulo, Regi sæculorum immortali, et invisibili Christo, mirabiliter obsequentem.

QUÆSITA CONSTANTINIANA



Stemmatis retro cusi brevis explanatio.

Quoniam Inquisitor noster stemma Magni Magistri, quod heic retro nitet, ex integro insculpi, ac quæsitis hisce Constantinianis, utpote militiæ Constantinianæ decoris symbolum, apponi jussit; certe et praestat nunc, quae de potioribus ipsius stemmatis imaginibus statuta hujus militiæ dictant, oppido latina, ad verbum referre.

« Supremus itaque Magister, et optimates, solemnibus interfuturi, galerum in capite gestent, « ex serico villoso rubro semicubitalem, intrinsecus serico quocumque albo circumvestitum. Quo « tuor galero insint, velut aise sursum erectae, quarum altera in anteriori parte supra frontem « exhibeat triumphale illud, ac venerabile Salvatoris nostri signum, » (nempe sigios græcos X et P. unum supra alterum nominis Christi graecanici decussatum) « ex auro contextum, quo Con- « stantinus primum usus est, ac imperatorium labarum exornavit. Permittatur Supremo Magistro, « atque etiam ejus primogenito ex familia nostra, galerum plumis nigris ardeae, nec non et gem- « mato diademate decorare: optimates vero unica tantum gemma, et aliis ad libitum gemmis con- « tenti sint. » (*Statut. sac. imperial. ord. equ. inclyt. relig. ang. aur. Constant. cap. IV, § 11.*) Haec de galero, sive pileo. At in stemmate nostro renidet galero eidem applicita corona, quia modo gestandum supponitur a Magnis Magistris Regibus, nempe a Borbonicis utriusque Siciliæ Regibus præclarissimis, quia a Parmæ Farnesiis fæmineo sanguine cretis. Etenim Magnum Constantinianum Magisterium a duce Parmensi Antonio Farnesio, vi solemnis decreti a Francisco etiam Farnesio Parmensi duce vulgati, in Carolum III Siciliarum Regem eorum nepotem augustum, jure sanguinis, devolvi cœpit. (*Vide libellum notizia della chiesa di Magione a dal S. R. M. ordine Costantiniano, a Duce Caccabi scriptum, ibique in commentat. sive notis a ms exaratis num. 9. pag. 62.*) Omnibus nunc perspectum, ipsique Pontifici maximo Pio IX in brevi *maxima* 1851 ratum; Magnum illud Magisterium, omnibus elatum a Clemente XI. ac ab aliis Pontificibus privilegiis, in Regali vertice, et vita Ferdinandi II, Regis nostri invictissimi, præfulgere. Sed ad statuta redeamus.

« Magnus demum torquis ex auro purissimo, gemmis undique ornatus, qui ad occiput « religabitur, utrumque humerum Principis Magni Magistri circumdet, et ab ejus collo « pendens decorsm in speciem pectori supersedeat. Torquem hunc quindecim segmenta orbi- « cularis formæ componant; quibus totidem dominicae incarnationis mysteria pie significentur. « Singula segmenta in cæruleis palmulis, encausto fabrefactis, exibeant Salvatoris nostri monogram- « ma, (nempe sigios, quos supra memoravi) additis hinc inde græcis litteris Α et Ω; idemque « monogramma pretiosis lapillis, circumquaque eleganter dispositis, exornetur. Septem segmenta « dextero, septem alia sinistro adhaereant humero; grandius vero segmentum, quod ad pectus us- « que descendet, gemmata laureola coronetur, ac in ejus medio crux ordinis circumfulgeat, no- « bilibus distincta gemmis, quæ appensam equestrem divi Georgii, hasta draconem confingentis, « imaginem, affabre pariter elaboratam, gemmisque ditatam regat. » (*Statuta ut supra, § III.*) Sanctum Georgium adscitum ordinis Constantiniani titularem, et protectorem, regulamque sancti patris Basilii ordini eidem applicitam fuisse, non prius a sæculo decimo secundo puto; quando Constantiniana militia in Græcis ad religionem militarem ab Isaacio Constantinopolitano Imperatore anno 1191 evecta est. (*Vid. libellum ut supra notizia ad pag. 57.*) Utique Sanctus Georgius et Sanctus Basilius; quoniam apud Græcos alter inter martyres præstantiori cultu celeberrimus, atque alter inter religionum conditores nobilior habebatur.

Restant in area orbiculari Stemmatis lilia aurata. Ea, utpote Regalis familiæ signa, sive arma, Reges nostri mutuantur a Gallis Regibus, a quibus, licet recto ordine ab Henrico IV, exoriuntur.

Nemini latet de hisce liliis famosum illud Annibalis Cari carmen, cui exordium

Venite all' ombra de' gran gigli d' oro.

Io! faxit Omnipotens, ut ad Regis nostri etiam liliorum umbram, pietate olentem, vitalemque, quot quot est Siculorum, et Parthenopejorum, corde uno, amore magno, et religione plurima, coalescant.

Lectori monitum auctoris

Omnibus hujus Panormitanae urbis incolis perspectum, quanto studio Inquisitor noster Constantinianus, eques magnae crucis Dux Caccabi, adlaboraverit in erigenda ecclesia Constantiniana Mansionis ad ordinis Constantiniani nativum decus, et dignitatem. Quanta is pro eadem ecclesia a Rege Magno Magistro rogavit, obtinuitque comoda; inter quae illud rectoris, episcopali caractere, fulgentis? Quantum in decus illud, et dignitatem non impendit usque adhuc etiam aes suum, curando, ut libri juris, et rei Constantinianae a theologo (1), quem sibi laboris socium pro sua humanitate adscivit, scriberentur, ederenturque? Neque continuit se ipse Dux Inquisitor, ab exarando affabre sive Mansionis, sive ordinis Constantiniani summatim historiam, aliosque libellos, ad Mansionis ipsius tutamen; quando in hujus commendae bona irruere homines, anno 1848 debaccantes, satagebant. At illud potissimum animo hujus Inquisitoris praestantissimi insidet, ut clerici, dum in spe habet, annuis stipendiis, quae tenuicula sunt, ab Regis clementia augeantur, omni honestate, bonis disciplinis, et ideis Constantinianis eruditi in Mansionis ecclesia evadant, in eamque adlegan-

tur; nam quid praestat sine hominibus aptis, comptisque res extollere, atque ornare? Quanta ille obvolvit mente, nempe litterarias collationes, seminarium, bibliothecam, aliaque, quibus clerus Mansionis exerceatur, et perpolitiori Constantiniano typo quodammodo cudatur? Hac de causa idem Inquisitor mihi, utpote homini, ob vigilias in re universa Constantiniana ductas, in re ipsa exercitato, in mandatis dedit, ut haec quaesita, in quibus jus universum Constantinianum exornaretur, quae clerici illi intra anni spatia meditarentur, et vicissim sese inter explicarent, in quoddam veluti specimen scriptione redigerem. Credo, brevi calamo omnia de jure eodem me complexum fuisse, veluti semen in magnam segetem excrescens. Faxit Deus, ut haec studia Religionis bono, in hoc hujus temporis de fide catholica languore, et desidia, feliciter vertant, accendantque omnes sive laicos, sive clericos ad fidem, ipsam meliori adnisu amandam, atque tuendam. Vale.

ADNOTATIO

(1) A *theologo*, scilicet Alberto Pierallini presbytero, opellæ hujus scriptore, non quia certe veraciter theologus, cum is probe calleat, quantum ab theologiæ scientiæ excellentioris amplitudine longe distet, sed quia, benignitate patrum Societatis Jesu, laurea ejusdem scientiae donatus, et in præsentiarum opera, et studio Ducis Caccabi, frugi, et antiquis, catholicisque moribus viri, habitus Constantinianæ Inquisitionis, et Mansionis theologus, ut patet ex libro, nempe *collezione di cose Costantiniane*, Panormi edito, ad pag. 120, atque ex alio libro, etiam edito Panormi, cui titulus *annuario generale del commercio, e dell' industria, della magistratura, e della amministrazione, approvato dal R. governo con ministeriale del 26 feb. 1853*, ad pag. 114. Tribuat mihi lector, hæc de me potuisse scribere, non ut gloriolam haurirem, cum jam grandævus ætate experientia didici, mendaces esse filios hominum in stateris; sed, ut grati animi significationem illi Societati rependam; cui uni, quæ me a teneris unguiculis ad bonos mores, et litteras efformavit, si quid boni habeo, si hæc atque alia scripsi, debetur; ac ut simul pandam publice gratissimus, multa mihi adhuc beneficia Ducem Caccabi generosa nobilitate, qua præstat, contulisse: cui Deus pro me alia potentiora beneficia adjiciat.

QUAESITA

de militaris religiosi ordinis aurati angelici Constantiniani jure sive privato, sive publico.

I. Utrum Constantiniana militia a Constantino magno exordium, et quo sensu duxerit, atque ad hæc usque tempora non interrupta serie pervenerit?

II. Utrum, et quando ordo Constantinianus regulae sancti Basilii subesse habuit; et an gaudeat, propter juris canonici beneficium, participatione privilegiorum aliorum ordinum cujusvis instituti, et militarium, etiam illorum, quos de medio sublatos novimus?

III. Utrum exemptio juriadictionis, qua a Clemente XI per bullam *militantis* donatus fuit ordo Constantinianus, censenda sit activa, vel passiva; et an ordini eidem adveniat, maxime mediante Magno Magistro: cujus præclarissimum munus cum in sola familia Farnesiana Borbonica utriusque Siciliæ Regum resideat, quæri etiam potest, queis argumentis hoc ipsum firmiter, evidenterque evincatur?

IV. Utrum miles, vel clericus ordini Constantiniano adscripti ab alio, qui alibi magnum magisterium forsan affectare videretur, frui jure possint, hujus ordinis nomine, privilegiis, et jurisdictione spirituali exempta; quod quidem magni momenti censendum, cum de validitate quoque sacramentorum hâc in re agatur?

V. Utrum Magnus Prior, qui nunc Neapoli degit, jurisdictionem ordinis exemptam, qua pollet, sibi vel ab ordine, vel a Magno Magistro derivet; et quæ, quantaque in praxi illa existimanda?

VI. Utrum aliquid peculiariter Clemens XI, et Benedictus XIII Magno Priori contulerint, et quo sensu hoc ipsum est intelligendum nunc, quando idem Magnus Prior, non ut olim presbyter, sed infulis episcopalibus in præsentiarum præfulget?

VII. Utrum Magnus Prior, habitus ut delegatus Magni Magistri, valeat sui vicarium extra Neapolim delegare, et si opportunius, utiliusque cedat ordini, ut vicarium ipsum a quocumque alio vicario diseretum, etiam ad tempus, exempli gratia in visitatinnibus, deleget?

VIII. Utrum quando accidit, quod Magnus Prior idem sit, ac Cappellanus Major, congruum accidat ordini Constantiniano, quod ille erga ordinem hunc se gerat more modoque, quo in officio Cappellani Majoris assolet?

IX. Utrum breve *in apostolicæ* Benedicti XIII, circa numerum decimum quartum clericorum, respiciat illos tantum existentes in diœcesibus, quas Pontifex ipse nominat, at non clericos omnes undequaque degentes; eo vel magis, si ii inservientes in ordinis ecclesiis maneant, et si in vim bullæ *militantis* Clementis XI fas sit, numero illi non attendere?

X. Utrum in examine de re sacra, et morali librorum, quam piissimus Rex noster nuper episcopis primario reliquit, sit sane de jure, honestate Constantiniani ordinis, et de Regia mente, quod Magnus Prior, et non aiter episcopus, curet, de præfatis argumentis, vel de ordine ipso tractantes, examinandos libros, qui ab hominibus, ad hunc ordinem pertinentibus, exarantur?

XI. Utrum Magnus Magister potis sit, præter Magnum Neapoli Priorem, alterum, atque alterum hujus dignitatis prælatum alibi creare?

XII. Utrum jurisdictio exempta Constantiniana, quæ oritur a Sede Apostolica, perfluat primum, et principaliter in corpus laicorum militum professorum ordinis Constantiniani, prout accidit in religiosa militia Sancti Joannis Hierosolymitana, quam in clericos quoscumque, eidem ordini Constantiniano quomodocumque adscriptos, aut præsidentes?

XIII. Utrum territoria fundorum, ad commendas Constantinianas spectantia, etiamsi in alienis diœcesibus extent, gaudeant ex vi bullæ *militantis* Clementis XI jure exemptionis activæ, privative quoad episcopos?

XIV. Utrum Inquisitores, qui provincialibus in constitutionibus Constantinianis comparantur, jurisdictionem spiritualem, et qualem quantamque exercere jure suo debeant; et quomodo in tali jurisdictionis spiritualis negotio Magnus Prior erga ipsos Inquisitores sese gerere debeat?

XV. Utrum milites laici professi Constantiniani valeant, prout sancitum est in ordine Hierosolymitano, aliisque in ordinibus militaribus, et clericis, praeterquam episcopis, in sacris functionibus anteire?

XVI. Utrum, posito, quod Magnus Magister Constantinianus fuerit a Clemente XI in bulla *militantis* ORDINARIUS ordinis solemniter declaratus, possit clericos suos ad confessiones suorum, audiendas, etiam publice in ordinis ecclesiis, habiles con-

stituere, fontes baptismi in ipsis ecclesiis pro filiis equitum, aliorumque domesticorum inservientium pandere, aliaque id genus, caracterem sacerdotalem non requirentia, decernere ?

XVII. Utrum confessari Constantiniani approbati forte vel a Magno Magistro, vel a Magno Priore, ad udiendas in ecclesiis exemptis Ordinis Constantiniani suorum subditorum confessiones, possint licite, et valide audire ipsis in ecclesiis etiam cæterorum fidelium, illuc confluentium, confessiones, quamvis hujusmodi fideles episcopo diœcesis subsint ?

XVIII. Utrum in canone missæ nomen Magni Magistri, veluti ORDINARII Sacræ Constantinianæ militiæ, debeat magis, quam Magni Prioris, ab illo delegati, proferri, vel utriusque nomen, et quale antea, vel pono ?

XIX. Utrum equites laici professi Constantiniani possint jure pontificio beneficiis, etiam curæ animarum adnexis, potiri ?

XX. Utrum, in deferendo viatico militibus Constantinianis, et in eorum funeribus, comitatus, et interventus parochorum sint, sive in viis, sive in ecclesiis permittendi, quin exemptionibus, et privilegiis Constantiniani Ordinis injuria inferatur ?

XXI. Utrum, quod in materia jurisdictionis, sive per Pontifices, sive per consuetudinem exemptæ, licitum est clericis Regiis, liceat etiam clericis Constantinianis propter rationem, quia isti subsunt nunc Magno Magistro, qui Rex utriusque Siciliæ feliciter imperat: cui Deus omnipotens pro reipublicæ, atque ecclesiæ bono, annos atque annos, usque ad beati regni possessionem in cœlis, adaugeat ?

XXII. Utrum recte vel male, et qua de causa, judicaret, qui ordinem Constantinianum nunc ad merum equestre decoramentum redactum esse forsan arbitraretur ?

XXIII. Utrum equites Constantiniani, qui in pluribus orbis plagis extant, omnes, ad unius corporis coagmentationem, subsint nostro Regi Magno Magistro, Neapoli degenti ?

XXIV. Utrum, et quando constitutiones ordinis Constantiniani a Sede Apostolica fuerint approbatae ?

XXV. Utrum permissio, ab ecclesia conjugii militibus Constantinianis facta, deroget aliquid de statu religionis, quam etiam ipsi profitentur ?

XXVI. Utrum clerici, et milites Constantiniani, qui in suis collegiis ad modulum vitae comunis degunt, teneantur religiosa vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ nuncupare, et si hoc sit constitutionibus ordinis conforme ?

XXVII. Utrum memoria Pauli III, et Clementis XI sit peculiariter, at qua de causa, ab ordine Constantiniano recolenda ?

XXVIII. Utrum Pius IX aliquid boni, et quale Magno Magistro, atque in eo ordini Costantiniano paucis ab hinc annis contulerit ?

XXIX. Utrum decretum 30 julii 1853 latum, quo Rex noster, veluti Magnus Magister, jubet, ut exemptiones ordinis justa bullas religiose serventur, Magnum Priorem suum delegatum vocat, clericosque Constantinianos ab auctoritate episcoporum in re disciplinari aufert, exercitium intime canonicum ORDINARII in ordinem eumdem praeseferat?

XXX. Utrum ecclesia, et commenda Mansionis Panormi juro aliquo, et quali fuerint Constantiniano ordini adscitæ?

XXXI. Utrum ecclesia, et commenda Mansionis, hoc ipso quod Constantiniano ordino fuerint adauctæ, omnibus ejusdem ordinis privilegiis, et exemptionibus perfrui possint?

XXXII. Utrum ecclesia, et commenda Mansionis ordinum Cisterciensis, et Theutonici, quibus olim impexæ, privilegiis etiam nunc uti valeant?

XXXIII. Utrum, et quo sensu sive canonico, sive Constatiniano ecclesia Mansionis dici possit ordinis Constantiniani collegiata?

ADNOTATIO

AD NUM. XXIX.

En decretum, prout patria lingua fuerit evulgatum.

A S. E. il signor Duca di Caccamo Inquisitore del R. m. ordine Costantiniano.

« Da S. E., il ministro segretario di stato per gli affari di Sicilia in Napoli, mi è stato scritto così.

« *Eccellenza* » — S. M. il Re N. S. Gran Maestro del Real ordine Costantiniano, in vista di rap« presentanza del Gran Priore del Real ordine medesimo, si è degnata dichiarare, essere suo sovrano vo« lere, che sieno gelosamente conservati tutti i privilegj, e le esenzioni spirituali, che per virtù di bolle « pontificie gode il summenzionato Real ordine. E quindi è venuta la M. S. a prescrivere, che si « tenga a modo di norma dalle autorità Regie, di non dar mano forte, in quanto a misure disciplinari « ecclesiastiche, verso i sacerdoti, o cherici decorati del cennato Reale ordine, che a quelle sole, che ve« nissero ordinate dal Gran Priore, qual delegato della M. S. il Gran Maestro; salvo agli ordinarj dei « luoghi di reclamare a S. M. il Gran Maestro, ovvero al Gran Priore sulle misure opportune a darsi « per via di quest'ultimo, dietro cognizione di causa contro quegli ecclesiastici decorati dell'ordine, « che non furono di edificazione pe' fedeli affidati alle cure di essi ordinarj.

« Nel real nome lo partecipo a V. E. per sua intelligenza, e per l'uso di risulta di sua parte.

Napoli 30 luglio 1853.

Nel detto Real nome partecipo ciò a lei per sua intelligenza, ed uso conveniente.

Palermo 27 agosto 1853.

Firmato — SATRIANO.

